

cus prædictorum aspectuum, & extende in circulo signorum, & habebis omnes aspectus sinistros, & à loco planetæ uel stellæ minue arcus prædictos, & quod remāserit extende in circulo signorum, & habebis omnes aspectus dextros. Si autem uolueris dirigere uel extendere radios secundum opinionem eorum qui illud faciunt per ascensiones circuli directi, similiter facilis erit operatio. Vnde postquam sciueris gradū significatoris dirigendi, & gradum planetæ uel stellæ ad quem uolueris dirigere, scias ascensiones horum duorum locorum in circulo directo, & computa gradus ascensionum qui fuerint inter hæc duo loca, & serua eos, qui erūt quantitas directionis quæsitæ. Pro aspectibus uero & radijs scias ascensionē planetæ uel stellæ, cuius radios & aspectus quæris in circulo directo, super quas adde arcus prædictorum aspectuum pro aspectibus sinistris, & ab eis minue eosdem arcus pro aspectibus dextris. Et quod inde pro- uenerit, extende in eodem circulo directo, & uide quo de circulo signorum pertenerit unusquisque prædictorum aspectuum reducendo ascensiones ad gradus æquales, & serua, quia ad illa loca extendentur radij & aspectus ipsius planetæ uel stellæ tam dextri quàm sinistri. Si uero uolueris dirigere & extendere radios secundum opinionem illorum qui hæc faciunt per ascensiones amborum circulorum, uidelicet per ascensiones circuli directi, & per ascensiones circuli regionis, & per ascensiones mixtas, ex istis difficilis & longa est operatio: nisi significator dirigendus uel planeta uel stella cuius radios & aspectus quærimus, fuerit in aliquo angulorum. Vnde si significator dirigendus fuerit in gradu ascendente, aut oritur cum gradu ascendente, licet non sit in ipso gradu ascendente, quod contingere potest, quādo ipse significator habet latitudinem, scias ascensiones gradus ascendente in circulo regionis. Et similiter scias ascensionē gradus planetæ uel stellæ ad quem uolueris dirigere in eodē circulo, aut ascensiones gradus cum quo ipsa planeta uel stella oritur, si forte habet latitudinem, & computa gradus ascensionū qui fuerint inter hæc loca, & serua eos, quia ipsi erunt quantitas

o dire